



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Quod de prouentibus molendinorum & piscariarum, & de feno & lana
decimae debent persolui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI 1179. scriptos reditus in ipsius decimæ commutationem præsumas recipere: sed prædictum R. ad restituendas decimas subtractas tibi, & ad eas soluendas in posterum ecclesiastica districtione compellas.

CAP. II.

Idem Cantuariensi archiepiscopo, & eius suffraganeis.

Peruenit ad nos, quod cum parochiani vestri decimas bonorum suorum consueuerint ecclesiis, quibus debentur, persoluere: nunc tam laudabili consuetudine præmissa, quidam ex ipsis de lana & de feno & de prouentibus molendinorum & piscariarum ipsis ecclesiis subtrahere non verentur. Quoniam igitur institutioni diuinæ manifestius obuiant, qui decimas ecclesiis non persoluunt, F. V. &c. quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit sub excommunicationis districtione compellatis, vt de prouentibus molendinorum & piscariarum & de feno & de lana decimas ecclesiis, quibus debentur, omni occasione & appellatione cessante, cum integritate persoluant.

CAP. III. *Item Vintoniensi episcopo.*

Nuntios & literas tuæ fraternitatis ea qua decuit benignitate recepimus, & petitiones tuas, quoad licuit, curauimus exaudire, sicut illius personæ quam pure in Domino & feruenti caritate diligimus, & cuius commodis & profectibus intendere volumus diligenter. Cum ergo ad officium tuum spectent ea, in quibus præcepti nostri desideras auctoritate muniri, tanto in his facilius debuisti exaudiri, quanto ipsa eorum specialius salutem respiciunt, de quibus in extremo iudicio redditurus es rationem. Inde est quod F. T. &c. quatenus tam comites quam barones, nec non & milites & omnes alios de parochia tua moneas propensius & inducas, vt appellatione cessante & * E. D. C O N. vt decimas matricibus ecclesiis de diuitiis suis cum omni integritate persoluant. Præterea parochianos vestros de feno equitio, pomis & pyris & apibus & omni fructu decimas soluere ecclesiastica districtione, appellatione cessante, compellas.

Concil. Tom. 27.

T t t iij